


A. 56500 (142)



A 56500 (142)

12

COMMENTATIVNCYLA

DE

24363
71

SCHOLIS ET ACADEMIIS
CVM COTE COMPARANDIS,

ILLVSTRANDAE

PAROEMIAE HASSIACAE:
Giessen ist ein Schleiffstein/
GIESSA COS EST,

IN MEDIVM PROLATA

A

CHRISTOPH. FRIDERICO AYRMANNO,
PROF. HISTOR. ET PHILOS. PRIMARIO, h. t. DECANO
FACVLT. PHILOS. ET BIBLIOTHECARIO ACAD.

GIESSAE,

TYPIS E. H. LAMMERS, ACAD. TYPOGR.

ANNO M DCC XLII.

5073



PRAEFATIVNCVLA.

Cum in Giessensi Padagogio, quod cum Academia ex prima institutione coniunctum est, die 21. Martii anno 1742. Actus exemptionis publica celebraretur, quo sex non ineruditi adolescentes ex Schola dimittendi, & in Academicorum civium numerum recipiendi erant, ego vero illo tempore Decanatus Philosophici munere fungerer; habenda mihi hac occasione fuit oratiuncula, quam, publice pronuntiatam, nunc quoque rogatu nonnullorum publice legendam proponere volui. Paroemias ante me in hac Academia publicis scriptis illustrarunt Hertius & Weberus, at quanti viri! in quibus & Hassiaca, & satis lepida nonnulla occurrunt. Praesens autem Paroemia ut recens est, nuperque inuenta, sic eo facilius certiorque erat eius interpretatio. Quam ut equi bonique B. Lector consulat, citraque ullius iniuriam a me in medium prolatam esse sibi persuadeat, rogo.

Gr. Univ. Bibliothek Giessen
Geschenk
der Gr. Hofbibliothek
1913 No. 679.

EXOR.

EXORDIUM.

Sapienter in Statutorum huius Academiae Titulo 77. cautum legimus, ad Academiam bene constituendam inprimis opus esse, ut inferiorum etiam & triuialium Scholarum, praecipue autem Paedagogiorum, in quibus a studiosa iuuentute optimarum artium fundamenta iaciantur, accurata habeatur ratio, ne istis neglectis, cum ipsa Academia postmodum male agatur. In Schola autem recte constituenda duo potissimum esse attendenda, quibus niti eiusdem fundamenta debeant, doctrinam primum, quae animum informet, deinde disciplinam, quae mores regat: quae quidem ita sint inter se coniuncta, ut alterum sine altero esse nec possit, nec debeat. Vtrumque vero etiam, & doctrina, & disciplina, praecipuum illud est, ad quod in formanda & gubernanda iuuentute Academica respiciendum esse, eadem Statuta passim praecipunt & inculcant. Quem in finem uniuersis ac singulis quarumlibet Facultatum studiosis iniungunt, ut in Academia quoque cum liberalibus artibus, quarum in Schola fundamenta iacta sunt, tum Philosophiae, sedulam nauent operam; ne illotis quod aiunt manibus ad sacrationes accedant Musas, & quod, experientia magistra, didicisse fideliter artes

Emollit mores, nec sinit esse feros.

Vnde in eorundem Statutorum Titulo 53. cunctis in Facultate Philosophica Professoribus commendatum est officium Censurae, singulis semestribus in studiosos iuuenes exercendae, qua in studia, mores & conuersationem eorum inquirerent, & unicuique pro ratione profectuum lectiones audiendas assignarent. Nominatim vero ipsis demandatum est, ut Nouitiorum e Paedagogio nuper exemptorum, aut ex triuialibus Scholis ad Academiam venientium, inprimis curam habeant. Atque hanc ipsam ob rationem iidem Professores Facultatis Philosophicae singulis item semestribus Paedagogicorum & exami-

nibus & exemptionibus interesse ac præesse quodammodo consueverunt, partim ut de profectibus eorum eo certius constet, partim ut notitiam accuratiorē nouiter exemptionum, quorum cura ipsis singulariter commissa erat, habeant. Tametsi vero utilissimum Censuræ institutum iam pridem in desuetudinem fere abierit, nec in ceteris hodie cuncta ad rigorem Statutorum exigantur, visum tamen est Rectori Academiæ Magnifico, itemque Pædagogiarchæ meritissimo, Domino D. Bennero, Professore Theologo celeberrimo, finito his diebus Pædagogicorum examine, hodierno die publicam quorundam ex eorum numero exemptionem celebrare, quam more consueto ego Decanus hoc tempore Facultatis Philosophicæ moderarer.

ARGUMENTI PERTRACTATIO.

Qua occasione cum mihi præfandum sit aliquid, paucis verbis declarabo, Scholas & Academiæ, ut sicuti prædictum est recte se habeant, cotis similes esse debere. Cuncti enim homines ab exortu primo & infantia rudes sunt, informes & hebetes, opeque disciplinæ ac doctrinæ, ceu cote quadam, indies magis magisque erudiri, elaborari, perpoliri, acui, ac denique longo usu & exercitatione perfici debent, ut quilibet deinde in ordine debito ad finem propositum munere suo recte decenterque perfungatur.

Cotem quippe ex usu veterum Scriptorum Latinorum appellamus genus quoddam lapidis, durioris compactiorisque substantiæ, (quales fere cautes seu cotes, unde & cotis nomen manauit, esse solent,) quod conuenienti ratione formatum & præparatum, acuendo & poliendo ferro similiue materiæ adhiberi potest. Ac primus quidem & præcipuus cotis usus in acuendo consistit, de quo nemo facile dubitauerit. Ad poliendum vero quamuis & lima, & pumex, aliaque
huius

() ()

huius generis sint adhibita, legimus tamen & cote cum maxime quid politum seu depoliturum, qua phrasi usus est Plinius lib. 36. Polita autem, secundum Nonium, omnia exculpta & ad nitorem deducta vocari consuevere. Sed nec tertius cotis usus silendus est, tametsi certæ tantum cotis speciei conveniens, qui in probando, explorando & distinguendo auro, alioue metallo pretiosiori consistit. Quem triplicem usum alioqui lingua Germanica tribus peculiaribus nominibus designat *des Wetz, Schleiff, und Probier, Steins*. Imo & Latini veteres cotes tertii usus proprie cotículas vocabulo diminutivo appellarunt, quoniam huiusmodi lapides fere modici fuerunt, ut expresse testatur Plinius lib. 33. Vbi & illud relatum legimus, cotículas, quæ postea passim repertæ sint, olim petitas fuisse ex Tmolo monte Lydiæ, unde cognomen Lapidis Lydii petitur, qui & Heraclæus seu Heraclius dictus sit, non quidem ab Hercule, sed Lydiæ item urbe Heraclæa, quod pridem rectissime observavit magnus ille Erasmus in Adagiis. Græci alioquin hoc genus lapidis vocarunt *Βάραρον* ab explorando, examinando, probando, quod *Βαραρίζειν* dicere consuevere, sicut & Latini eandem fere ob rationem indicem appellarunt. At cotem, cuius in acuendo imprimis consistit usus, Græci peculiari vocabulo nominarunt *ἀκρόνυ*, unde verbum *ἀκρονία* descendit, idem valens ac Latinum acuo, quod etiam procul dubio ex isto Græco verbo originem, seu potius deprauationem traxit.

Sed nec aliena est a consuetudine probatorum Auctorum veterum rerum variarum cum cote, triplicis quem dixi usus, comparatio. Sane ad institutionem, acuendumque ingenium & iudicium manifeste transtulit Horatius. Regulas enim accuratiores artis poëticæ traditurus, ipse alioqui non æque excellens in quocunque carminis genere,

Fungar, ait, vice cotis, acutum

Reddere quæ ferrum valet, exors ipsa secandi.

Porro vir doctissimus Gilbertus Cognatus Prouerbum τὰν ἀκοναν εἶναι, id est Cotem esse, de eo explicat, quod disciplinam contineat, nec in segnitiam prolabi sinat, ut Carthaginem Nasica Cotem Romanæ iuuentutis appellarit. Quorsum pertinet admodum elegans Flori locus lib. II. c. 3. ubi refert, peracto bello Punico secundo, post pacem breuissimi temporis, Ligures, Insubres, & Illyrios Romanos rursus laceffuisse, deo quodam assidue incitante, ne rubiginem ac fitum scilicet arma sentirent. Denique, ait, utrique (Ligures & Insubres) cotidiani & quasi domestici hostes tirocinia militum imbuebant, nec aliter utraque gente, quam quasi cote quadam, populus Romanus ferrum suæ acuebat virtutis. Denique de cotis seu coticulæ, quatenus indicem seu lapidem Lydium denotat, pulchra ad res varias translatione conferri poterit Erasmus loco allegato. Quorsum pertinet arguta Chilonis apud Diogenem Laërtium sententia: ut in coticulis aurum exploretur, sic in auro proborum pariter & improborum ingenium deprehendi. Quod suauissime sic reddidit Antiphanes apud Stobæum:

Πῶς δὲ βάσανος ἐστὶν ἀνθρώπου ἧβηται,
 ut sensus sit, Opes diuitiasque coticulam esse humanæ indolis & ingenii.

Quis vereatur iam cum Cote Scholas & Academias comparare? Cotibus enim similes sunt cum ratione discipulorum, tum ratione doctorem, eorumque qui ad docendum in iisdem munus adspirant. Ac ratione discipulorum quidem cotis instar habet primo institutio & doctrina, quibus eorum animi & ingenia indies magis magisque acuuntur & poliuntur; deinde & disciplina, quæ vitam & mores apte decenterque componit & format, virtutis studium acuit & intendit, vitiorumque sordes & deformitates depolit detrahitque. Sed & tertio vel maxime coticula seu lapis Lydius ipsis applicandus est, profectusque eorum in doctrina & moribus subinde explorandi,

randi, tentandi, examinandi, variaque ratione sic proficientes in utroque exercendi, donec sufficientem consecuti habitum, proprio deinceps Marte ad maturitatem plenam, & fructum ex vita Scholastica & Academica prouenturum, contendere queant. Quem in finem quoque varix inuentæ & institutæ sunt tentationes, probationes, examina, scriptiones, orationes, dissertationes, & similia specimina ac documenta. Quorsum & pertinebant olim ritus censuræ, depositionis, penalissimi, ut per aduersorum patientiam, deiectionemque animi & pudorem, mature iuuenes ad secundas res moderatius perferendas præpararentur.


Docentes vero etiam in Scholis & Academiis cotem hic inueniunt, qua ingenium & mores exacuere & perpolire, probatamque longo usu experientiam consequi valeant. Verissimum enim est, quod vulgo dicitur, nos docendo discere. Quamuis postremo iisdem, cotis pariter vice fungentibus, idem quod coti accidat, ut aliis inseruiendo ipsi consumantur. Illud vero præclarum prorsus est, quod in publico imprimis constituti docendi munere, mille hic occasiones habeant, quasi in coticula & lapide Lydio, aurum doctrinæ virtutisque suæ probandi, indicandi & in omnium conspectum proferendi. E contrario cauere debet sedulo quilibet *à Baravisos* adhuc, id est, nondum satis exercitus & probatus, ne idem lapis pro auro plumbum, pro obryzo scorias & fordes prodatur; dum in medio quasi undique imminentium ipsi cotium, seu cautium potius integrarum constitutus, vel leui contactu attrituque detegi ac prostitui potest, dignus qui sic propriam ultro quasi propalando turpitudinem, cum Batto apud Ouidium, in indicem seu cotem veram transmutetur. O felices denique illos, de quibus, horrida & dura cotium cautiumque huius generis expertis, vere dici queat, quod vexatio intellectum dederit, & quod postremo viam per aspera ad astra inuenerint. Quorsum imprimis spectasse opinor


opinor summum dum viueret Bielefeldium, singulare olim huius Academiae ornamentum, virumque per varios vitae casus, multaque rerum discrimina exercitatissimum, quandoquidem saepiuscule, sic ut ridendo dicere verum velle videretur, pronuntiantem audiui: Gießam esse cotem, *Gießen sey ein Schleiffstein.* Quae vox nescio quamobrem tam auidis omnium auribus excepta est, altaque mente reposta mansit, ut Prouerbii nunc vice passim in Hassia usurpetur. Sed magnum de tabula!

CONCLUSIO.

Conuerto nunc orationem meam ad adolescentes aliquot, solenni ritu per me ex illustri hoc Pædagogio manumittendos quasi, & in libertatem academicam vindicandos. Quos inter primo loco euoco te, N. N. te item N. N. &c. Satis diu est, adolescentes optimi, quod in illustri hoc Pædagogio culturae animi ingenique patientem, ut cum Horatio loquar, aurem commodauistis. Satis diu hic cotem doctrinae & disciplinae passi estis. Satis diu in umbra Scholae delituiistis, pallioque nauos, ætatis vel educationis vitio adhuc vobis forte inhaerentes, aut prauorum consortio contractos obtexistis. Prodeundum nunc vobis est in publicam totius Academiae lucem, deponendum pallium, gladiusque libertatis academicæ insigne accingendus. Hic dies aliam vitam, alios mores postulat. Sed nolite tam subita rerum commutatione efferri animo, quin potius cogitate primo, quantillum illud sit, quod adhuc didiceritis, & quantum e contrario sit, quod nesciatis, deinde perpendite quæso, quam longe abistis ab illa moris ingenique elegantia, quæ nostro seculo ab hominibus eruditis vel maxime exigitur, & sine qua exquisitissima alioqui doctrina contemptui saepe habetur & ludibrio. Ultro igitur vos submitte disciplinae academicæ, animumque porro magis magisque optimarum artium studio expoliri & acui sinite. Cauete denique, ne libertate academica unquam abutamini, quin ipsum caute dedecus, certissimam male moratorum & infrenium hominum mercedem. Sic futurum tandem est, ut studia vestra & scholastica & academica ad optatam metam perueniant, cedantque in diuini Numinis gloriam, & reipublicæ sacraeque, ac ciuilibus & litteratæ, commodum & incrementum. Quod reliquum est, Deum immortalem precor, ut hæc omnia fausta ac felicia & vobis, & illustri huic Pædagogio, & toti Academiae, & Rectori eius magnifico, & nobis uniuersis ac singulis euenire iubeat.

FINIS.





A 56500 (142)

12

COMMENTATIVN CVLA

DE

24263
11

SCHOLIS ET ACADEMIIS
CVM COTE COMPARANDIS,

Colour & Grey Control Chart

Danes Picta



A

CHRISTOPH. FRIDERICO AYRMANNO,

PROF. HISTOR. ET PHILOS. PRIMARIO, h. t. DECANO
FACULT. PHILOS. ET BIBLIOTHECARIO ACAD.



5073